



~~SW~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-26.

SIGNAT. ~~1515 CCCXIII.~~

Stückzettel erled.  
11. XII. 1944.

105

Συν Θεῷ

DISPUTATIONUM  
ETHICARUM  
XI.

*De*  
**VIR TUTIBUS  
INTELLECTUALIBUS.**

*In Inclytā Wittebergensi Academiā  
proposita*

P RÆS I D E

**M. NICOLA O HUNNIO**  
Marpurgensi: Col. Phil. Adjuncto,

R E S P O N D E N T E  
**V V I L H E L M O F I S C H E R O**  
Nördlingensi.

---

V V I T T E B E R G A E  
Ex Officina Johan. Gormani, Anno 1611.

၁၃၂၅ ၁၃၂၆ ၁၃၂၇ ၁၃၂၈ ၁၃၂၉ ၁၃၂၁၀ ၁၃၂၁၁ ၁၃၂၁၂ ၁၃၂၁၃

V I R I S  
Magnificis, Amplissimis,  
Consultissimis, Prudentissimisq;  
Dn. CONSULIBUS  
AC SENATORIBUS INCLY-  
tæ Reipubl: Nördlingensis me-  
ritissimis.

Dnn. Mecænatibus, Patronis & Promoto-  
ribus suis magnis, omni observantia  
cultu perpetim prosequendis at-  
que venerandis.

# Exercitium hoc Ethicum.

submisse dicat et  
consecrat

# Respondēns.



## DISPUTATIO XI.

# De VIRTUTIBUS IN- TELLECTUALIBUS.

### I.

*Virtus Intellectualis est habitus animi, quo  
mens verum enunciat affirmando  
vel negando.*

I. Virtutes diximus duplices; τἀ ηθος, καὶ τῆς διανοίας ex 6.  
Ethic. 2. consideratis ergo hactenus moralibus recto pede ad in-  
tellectuales nos conferimus; qui, quoniam sine hic tractentur,  
divinare opus non est. Tendit Ethica ad summum bonum;  
tanquam finem generalem, eumq; ultimum, quò universam  
suam structuram dirigit. Cæterum, ὁ δαιμονία est actio lauda-  
bilis; at duplex ea, theoretica, & practica; unde virtutem consi-  
derari ab Ethica oportet duplice; theoreticam, & practicam.

II. Definitionem dictorum habituum dedit Aristoteles 6.  
Nicom. 3. ὅτις inquiens, αληθέειη ψυχὴ τῷ καταφῶν, καὶ απο-  
φῶν. Pro cuius intellectu aliqua initio præmittenda. Ac pri-  
mū, virtutes quī dicantur, mirabitur fortè quispiam; eò quod  
1. non ē μεσότης. 2. nihil ipsis cum appetitu, in quo tamen  
domando, & rationis imperio subjiciendo virtus vel unicè la-  
borat. Resp. enim In medio constitui & appetitum frenare,  
in specie moralium est, non quarūcunq; virtutum, docente ge-  
nerali virtutum definitione diff. 3. ex 1. Rhet. 9. adductā. 2. Vir-  
tutes meritò appellantur, quatenus ad benē operandum, seu

A 2 actiones

ctiones laudabiles intellectum perducunt. Quid? quod medium observant, quatenus ratio habitus hosce certis circumdat limitibus intra quos sese haud aliter, ac morales in medio continent.

III. *Intellectuals* verò dicuntur ex *subjecto*, dum in facultatem rationalem ut *τὸν εἰμιστὸν* recipiuntur. Quod etsi neget *Piccolomineus*, grad. 5. cap. 6. *Phil. mor.* facile tamen probatur.  
1. quia nulla congrua & sufficiens appellationis foret ratio.  
2. *Subjectum* virtutum homini commune esset cum brutis: quidnī ergò & ipsa virtus?  
3. Omne accidens, sicut esse suum accipit à *subjecto*: sic & denominationem propriam quidnī exinde peteret?

IV. De practicis res magis dubia, quæ facultati toto genere diversæ, h. e. theoreticæ non videntur inesse. Verùm; duplex earū ratio: semel quidem objectivè considerantur quatenus in opus externum se exerunt; atq; tunc dicuntur morales; deinde subjectivè, prout in *subjecto* recipiuntur, inq; illo latitant: V. C. prudentia complexus est virtutum moralium, ut in externo se sistit opere: at, quatenus intellectui inest, eumq; tanquam *τὸν εἰμιστὸν* suum *ταραχητικὸν* afficit, intellectualis nomen sortitur. Et sic habitus practicos intellectuales dicimus, quod menti inhærent, et si exercitium eorum voluntas potius quam mens dirigat.

V. Non parum hæc ipsam definitionem declarabunt. Certinatur enim facile sententia assignati generis (*animi habitus*) sub junctæ actionis (*affirmationis & negationis*) & additi effectus (*enunciationis veri*). Quæ quomodo practicis habitibus convenient, pluribus dispiciendum. 1. Animi, seu Intellectus habitus non videntur esse: quisquis enim habitus est practicus, facultati practicæ: & qui theoreticus, theoreticæ facultati inesse videtur; alias quippe inepta foret facultas suo operari habitu. *Αἴτων.*  
2. Praxis non affirmat, aut negat, sed ponit, & tollit, extruit, & destruit. 3. Praxis nihil solicita est de vero & falso, sed bono, ac malo. Ideò non querit ars, quodnam sit verum, quod secus? sed, quod bonum, aut malum. Hæc dubia. Quibus respondeo. 1. Distinguendum inter habitum, qui per facultatem, cui inest, operatur, & qui non item.

Infre-

infrequens haud est, operari habitum in alia facultate, in alia verò esse. Cujus rei Exemplum virtus moralis nobis supeditat, quæ in intellectu sita per voluntatem, imò in λογικῇ constituta, per ἀλογον se exerit, & operatur. Sit igitur virtus in anima, attamen per corpus: Sit in appetitu, per locomotivam; sit in intellectu, per voluntatem suas operationes edit. Ut enim qui consilia suggesterit rerum aggendarum, quantum quidem ad se, totus est Theoricus, ejusque prudentia, unde consilium, theoreticè se habet: verè interim practicus est, dum facit operari alterum omnemque contemplationem unicè dirigit ad praxin; prudentia quoque illius operativus habitus: ita intellectus per habitus praticos operari facit inferiores facultates. Huc redit, quod notat Armand. Bellor. tract. 2. cap. 87. intellectuales dici à tribus. subiecto, generatione, & objecto; ubi priorum respectu practici; at ratione omnium trium junctorum theoreti intellectuales appellantur. Atque hæc de primo dubio.

V I. 2. Omnis praxis presupponit theorian juxta illud: οἱ συλλογισμοὶ τῶν περιπτῶν αἰχλαὶ ἔχοντες εἰσι. Ethic. 13. Unde verum & falsum, quod est in consultatione & electione; idem illud bonum est & malum in operatione. V. C. verum est, principem non necessaria bella moventem incommodeare Reipublicæ. malum verò, quando ipso actu bellis non necessarijs Reipublicæ incommodat. Hinc rectè dicitur: quicquid bonum est, aut malum, hoc omne verum etiam est, aut falsum. Constat proinde, practicum habitum affirmare, & negare, quatenus objectum ejus, nondum in actum secundum erupit; & contemplationi aliqua adhuc ratione subjicitur. Unde secundi, ac tertii dubiorum solutio.

VII. Constat verò in super ex habituum intellectualium attributo (veri enunciatione,) non quemvis animi habitum inter virtutes numerari, sed i. illos sicutem; qui circa verum 2. solo principales. Instrumentales namque (Logia, Rhetorica, & si quæ alia) etsi modum vera, falsaque tractandi ostendant; ipsi tamen non sufficiant. Ratio, verum, & falsum sunt in rebus:

Ergo enuncians verum rem contineat, oportet. At habitus organici omni materia propriâ destituuntur dum reale subiectum nullum habent: & quomodo verum enunciarent. Etsi igitur ad hos principales reducibles credamus organicos; quatenus ipsi ministrorum more circa verum, & falsum versantur, arramen directim, & per se sub numerum eorum non cadunt.

VIII. Numerus intellectualium habituum duplii elicitor medio i.e. ex objectorum varietate: quæ duplia, necessaria, & contingentia. Necessaria: quæ aliter se habere nequeunt, nec in potestate aut arbitrio nostro sita prorsus sunt immutabilia. Quæ rursus aut principia sunt conclusionum, aut conclusiones. Noticia principiorum constituit habitum intellectus; conclusionum scientiam; utriusque coalitio sapientiam. Contingentia sunt quæ cum sint, possent non esse: sed & ea duplia, aut enim sunt à nobis, aut à natum. Hæc singularia sunt, quorum nullus certus, ac definitus datur habitus ob naturam illorum vagam, & ordinem prorsus incerturā. Illa porro aut πράκται sunt, agibilia quæ cum ipsa operatione evanescunt & in illis occupatur prudentia: aut ποιηται, factibia: quæ non cum actione intercidunt, sed sensibilem post se effectum relinquunt; circa quæ versans habitus ars nuncupatur. II. Ex facultatis intellectivæ partibus hoc est varietate subiecti. Intellectus duæ sunt partes τὸ επισημονικὸν, facultas sciendi. & τὸ λογισμὸν ratiocinandi seu consultandi Arist. 6. Eth. 2. Prior pars capax est aut principiorum, aut per διάβολα reductarum conclusionum, aut junctim utrarumque. Posterior consultat ut agat, vel efficiat. Unde idem habituum numerus resultat. Vid. Acciajol. comm. ad 6. Eth. cap. 2. 3.

II.

*Ergo duplex habitus intellectualis Theoreticus & practicus.*

*Theoreticum dicimus, qui operationem extiorem*

riorem nullam habet, sed in nuda subjecti  
sui contemplatione acquiescit.

I. Θεωρεῖν certe est agere: omnis ergo habitus practicus. Ergo vana distinctio. Sic equidem videri cuidam posset. Attamen: omnem habitum suo modo operari ut concedamus, atque sic omnem practicum dicamus, econtra quoque asserimus, aliquem saltem practicum, non omnem, aliquem operari non omnem, asserere non dubitamus. Distinctio difficultatem expediet. Operatio nonnunquam idem est, quod actus quicunque secundus oppositus primo, quo sensu omnes sine discriminatione habitus operantur. Ceterum; in praesente distinctione aliter voce πράξις utimur: opposentes illam theoriam, quam modò dicta significatio includit. Etenim operatio sensu lato accepta duplex est. immanens & transiens: immanentem definit Zabarella lib. I. de motu grav. cap. II, quæ in exteriorem materiam non transit, ut sapere, videre, loqui. Transeuntem, quæ extra agens in aliud subjectum agendo transit. Immanens hoc in loco theoria est, transiens πράξις (sensu strictiore) Quocertè sensu non omnis habitus est practicus, vel transeuntem operationem edit; uti nec omnis theoricus, in immanente actione conquiescens.

II. Facilior hinc intellectus definitionis habitus theoretici. Ut ut is enim operationem edat, eam tamen non in aliud quod subjectum commigrantem sed in sui ipsius subjecto, sive agente conquiscentem. Quapropter & finis cum ipso habitu coincidit, qui est subjecti noticia. Distinguimus vero inter finem per se & per accidens: hic pro varietate mutabilitate, ac inconstantiâ suâ multum differt, unde sit & non attendatur ab habitu, nec cum eodem coincidat. Finis per se ex intentione habitus nascitur & duplex est internus & externus. Ille semper est idem, firmus, ac constans, nec ab habitu separabilis: cui etiam id quod diximus, attributum volumus: non externo, qui non essentialis est, aut necessarius habitibus, verum contingens, & separabilis.

III. Tres

abitus or.  
ale subje-  
nt. Etsi  
icos; qua-  
versantur,  
cadunt.  
ici elicitur  
essaria, &  
ueunt, nec  
mutabilia.  
clusiones.  
s; conclusi-  
ontingen-  
plicia, aut  
t, quorum  
m illorum  
it πρᾶξις  
& in illis  
on cum a-  
m relin-  
Ex facul-  
ntellectus  
λογισμὸς  
scapax est  
lusionum,  
, vel effici-  
αιjol. comm.

heoretic  
m exte-  
riorem



Tres theoretici habitus: Intellectus, scien-  
tia & sapientia.

Intellectus (vñ) est habitus animi, quo prin-  
cipia scientiarum cognoscimus.

I. Πᾶσαι μάθησις διαβούλιον ἐκ περὶ οὐπαρέχόσης γίνεται γνώσεως.  
1. post. 1. ἐκ περὶ οὐγινωσκομένων. 6. Nicom. 3, quæ causa, ut demon-  
strationem, scientiarum matrem ex primis, & immediatis  
principiis oriens doceat Philosophus. Oportet verò istiusmodi  
esse principia, quæ seipsis ita sint nota, & certa, ut à nemine  
nisi τῆς διανοίας ἀρρώσιᾳ laborante in dubium vocari valeant.  
Horum exquisitiorem habitum intellectum asserimus ὅτι ὁ νῦν  
τῶν ἀρχῶν. Ethic 6. non potentiam intellectivam significantes,  
sed habitum potentiae, qui importat ejus certitudinem circa  
principia prima Armand. Bellor. trac. 2. cap. 85. Sunt ea principia  
vel ἀπλῶς prima, vel πῶς & κατὰ π. Ἀπλῶς, quæ aliud, ex quo  
probentur, ante se nihil habent: ut idem non potest simul esse, &  
non esse. πῶς; prima quidem sunt, quatenus vera, & etiam sine  
probatione certa, at non simpliciter, prout ab aliis prioribus  
confirmari possunt: cujus sunt generis principia ex sensu, & ex-  
perientiā orta.

II. Nascitur hīc confessim dubium, idque geminum: quo-  
modo videlicet intellectus dicatur habitus, cùm bona sui par-  
te non comparetur actionibus crebris sed per naturam in-  
sit? 2. Quammodo unus habitus ex heterogeneis in unum per-  
se nonquam coalescentibus compositus? Priori hanc damus re-  
sponsionem: 1. habitum dici non solum ἐπίκτητον, ac quisitum  
sed & σύμφυτον, connatum. Etsi ergo non sub priorem, attra-  
mē sub posteriorem habitus speciem intellectus cadit. 2. Quam-  
vis etiam in totum connascantur principia, habitum tamen  
corum protinus σύμφυτον (nisi ratione fundamenti) negamus,  
ex urgente demūm habitu ex crebriore principiorum usu; ut  
acquisitus sit habitus, cujus principia & præcepta connata 3.

Multa

3. Multa insuper principia non connascuntur, quæ tamen ad præsentem, de qua agimus, virtutem spectant.

III. *Posteriori.* Considerantur habitum præcepta vel secundum se seorsim, vel in mutua ad se invicem collatione. Si maximè priore modo sint heterogenea, nil tamen refert, quò minus sensu posteriore dicantur homogenea; dum ea, quæ natura & essentiâ suâ sunt diversissima; in unum coire possunt, quatenus ad se invicem perficienda, & complenda ordinantur, qnod non sicut animæ, & corporis ad unius entis per se constitutionem congregientium; sed & sapientiæ ex intellectu & scientia oratorum exempla sufficienter declarant. *Excipiat* verò hic aliquis; nullam dari disciplinam, quæ intellectus habitum doceat, adeoque nec ullum istiusmodi fingendam habitum. Verum, ut de Metaphysica, quæ (quippe sapientia) politiorem τὸν ἀρχῶν γνῶσιν subministrat, nihil dicam; hujus habitus ea natura, ut pleraq; præcepta non doceantur, sed per naturam, & generationem insint: quæ causa evidens iatis, nullam intellectus dari disciplinam.

#### IV.

*Scientia est habitus animi, quo ex principiis necessariis rem quandam cognoscimus.*

I. Aristoteles sic reddit: οὐσίην εἰς τὰ ποδεῖλαν εἰς αὐγανάιων. 6. Nicom. 3. Dum habitus appellatur, removentur alieni vocis significatus; utpote, quando scire dicimus τὰ αἰσθήτα, sensibilia seu τὰ καθέκαστα; aut quando τὴν εργασίαν οὐσίημων, exercitium scientiarum, seu contemplatio Scientia, & contemplantes scientes vocitantur. Quia enim, ut omnis theoreti-  
cus habitus, sic & Scientia est τὸν καθόλον. Arist. 6. Eth. 6.  
quæ videlicet mentis aut intellectus propria sunt objecta; τὴν εργασίαν etiam vel antecedit habitum, vel cundem consequitur;

B

nunquam

unquam certè illum constituet; idcirco non contemplatio;  
sed qualitas ea, per quam ad contemplandum universalia mens  
facilis est, scientia termino capitur. Præterea: scientia inter-  
dum pro integrâ disciplina sumitur, de cuius subjecto aliquæ  
affectiones demonstrantur: aliquæ probabiliter saltem illi attri-  
buuntur; equidem sic latior foret æquo vocula significatus: a-  
lias verò pro una quapiâ conclusione ex demôstratione elicita  
*s. post. 2. § 4.* qui justo est strictior significatus: alias tandem pro con-  
gerie demôstrativarū conclusionū, quib. de subjecto scîentifico  
affectiones propriæ atq; essentiales demonstrantur. Quæ acce-  
ptio accommodatior nostro instituto. Verùm; intuentes naturam  
habitū, qui non in præceptorum cognitione, sed promptitu-  
dine, ac facilitate agendi ex crebra præceptorum usurpatione  
ortā consistit, asserimus; verè proprieq; dici scientiam habitū,  
quo ex crebriore usu & exercitio conclusionum scîentificarum  
ad contemplanda subjecta sic assevit animus, ut quandocun-  
que libuerit, promptè & expedite de subjectis scîentiarū discur-  
rere, eademq; contemplari valeat,

II. Tales verò dari scîentias toti perswasum habemus, ab Ephe-  
ticis, & Scepticis totis castris dissidentes: & quidem idē;  
quod i. objecta scîentiarum dentur ( res necessariæ, hoc est,  
perpetuæ, & quæ per naturam aliter se habere non possunt)z Res  
universales non cognoscantur, nisi per mentem, sive intelle-  
ctum. Intellectus verò, dum propriè, ac perfectè operatur, uni-  
versalia cognoscit, Falsum proinde judicamus, dum præter sin-  
gularia & corruptibilia, nihil dari in naturâ asseritur. Similiter  
scientiam habitū nominantes à Platone deficimus, scieniam  
nil præter reminisciam statuente. Præterquam enim; quod  
intellectus omnium scîentiarum est capax, earum etiam, quæ  
hactenus inventæ non sunt, nec invenientur unquam, atque  
sic nulla prorsus ratione, aut modo per actualem scîentiarum  
inexistentiam determinatus, ac perfectus; accedit insuper,  
quod i. omnes æquè homines eadē forent instructi scîentiâ,  
*s. scîentia* aut inessent perfectæ, aut imperfectæ. Prius absur-  
dum; si posterius, actu infinitum daretur in natura, quod à  
Φιλόσοφοι,

III. Porro.

III. Porro: plenorem horum intellectum aperiet consideratio horum trium: 1. subjecti. 2. finis. 3. Convenientia, & discrepantia cum ijs, quæ affinitatem cum scientijs alunt. Subjectum inuitur voce *αναγκαιος*, necessarij: cum enim causæ respondeat effectus, & vicissim; utiq; si causa scientiæ necessaria & ipsa erit necessaria: at quomodo necessaria, si de contingente subjecto? Proprietates subjecti hæ numerari possunt ex Philosophorum pronunciatis: ut videlicet tale subjectum. 1. sic reale; quia non entis nulla scientia. II. Sit ens per se: ον επισήμη γητη τῷ συμβεβηκότος. E. Met. 2. III. Necessarium: πάντες γὰρ ὑπὸ λαθουμός ἐπισάμενα, μὴ δέχεσθαι αλλως ἔχειν. 6. Eth. 3. Ea porro necessitas requirit 1. simplicitatem: hoc est, non hypotheticam saltem, aut præceptorum (quæ in omnes artes etiam cadit) non tantum quoad tale, vel tale civis necessitatem; sed categoricam, & αὐλῶς quoad τὸ εἶναι. Regius disp. Logic. lib. probl. 2. 2. universitatem. Nulla enim singularia necessaria; nisi forte naturam universalis induant. 3. perpetuitatem. πᾶσα ἐπισήμη η τῷ αἰ̄, η τῷ ως ὅπῃ τὰ πολὺ 1. post. 30. §. 1. 2. Met. 2. IV. Præcognitum, cum quoad nomen, tunc quoad τὸ ον. V. Principijs putata συστηκοῖς. & internis, quorum concursu in suo esse intrinseco constituatur subjectum. Affectionibus verò propriis, αὐτισμοφοῖς, & necessarijs, IV. Stratum huic scientiæ, & adæquatum; hoc est, omnes partes scientiæ in ejus consideratione versentur, & ipsum in nulla scientia, nisi in hac (eodem scilicet considerandi modo) tractetur; nec deniq; aliqua sit propria affectio, quam non demonstret scientia.

V. Finis scientiæ est ipsum scire: h. e. scientia non addiscitur, ut ea operemur, sed ideo cognoscimus ut cognoscamus; ideo scimus, ut sciamus. Loquor autem, 1. de fine scientiæ interno, & per se, qui nunquam non comitatur scientias; nam qui vel accidentarius, vel externus, potest esse practicus, & à natura scientiæ in totum alienus. 2. de fine scientiæ: alias enim scientiæ finis esse potest; cuius est, scientiam seipsa contentam ad præmum referre, nec comparare, ut sciat, sed & operetur. Scal. ex. 176. 342.

V. Convenientiam habet scientia cum fide, opinione, & σωμέσῃ, perspicuitate. Primum enim æquiparantur contemplatione, quod nulla per se ac propriè praxin exercet. Deinde; fides scientiam certitudine adæquat, haud raro superat; opinio imitatur & mentitur nonnunquam scientiarum certitudinem. Perspicacitas imitatur scientiam ratione profundioris intuitus rerum, quas rimatur scientia. Discrepant vero, quod perspicacitas naturâ acquiritur; licet sedulitate excolatur, & expoliatur. Scientia industriâ. Opinio 1. sæpius fallitur; 2. dubium conjunctum habet. 3. Ex topicis, & probabilibus ducitur principijs. 4. Nec raro principium est mali actus. Quæ omnia longè aliter in scientiis se habent.

## V.

Sapientia est habitus animi, quo demonstrationum principia, & conclusiones intelligimus.

I. Multus est abusus vocis (*sapientia*) Nam coincidit nonnunquam cum prudentiâ; ut viros sapientes appellitemus eos, qui prudentiâ, & rerum agendarum peritiâ valent. Alias omnium disciplinarum, doctrinæ, ac scientiarum complexum notat; ut sapientes dicuntur, qui doctrinâ cœteros antecellunt; quales septem Græciæ sapientes; quo etiam sensu Cicero lib. 2. offic. Sapientiam rerum divinarum, & humanarum causarumq; quibus hæres continentur, scientiam definit. Similiter sapientes οἰκεῖοι τέχναις ἀνεβέσατο 6. Etb. 7. Ut Phidias sapiens marmorarius; polycletus sapiens statuarius: sed aliud hic innui, definitione satis, superq; demonstrat.

II. Etenim, sapientia est habitus compositus, & tamen unus. Vnus; unitare subjecti circa quod: compositus ratione duplicitis modi, quo subjectum tractat, quorū tamen uterq; ad alterum est ordinatus. Utrumq; copulat in definitione Philosophus a. Maj. Met. I: & x. Met. I. η σοφία, inquiens, οὐδεὶς τίς, οὐδὲ απόχας

*χαῖς θησήμη τίς θεῖ.* Επισήμη nominans ex necessarijs con-  
cludere : (hoc enim scientiæ proprium) at principia subjectum  
constituentia, Intellectus habitum docet. In quem etiam sensum  
sum 6. Eth. 7. δεῖ ἀρχὴν σοφὸν μὴ μόνον τὸν αἰχῶν εἰδέναι,  
ἀλλὰ ἡγῆ τὰς αἰχὰς ἀληθέντες. Subjectum itaq; oportet  
esse demonstrativum, hoc est necessarium, haud aliter, atq; sci-  
entia, & intelligentia, ex quibus composita est scientia. Natu-  
ram porrò illius requisitorum sapientiae a. Maj. Met. 2. positorū  
annotatio non parum illustrabit; secundum quæ tale sapientia  
subjectum postulatur, quod sit 1. universale, ac μάλιστα πάντα<sup>πάντα</sup>  
contineat. 2. Difficile, χαλεπὸν. 3. Propter seipsum cognoscibile, seu τοῦ εἰδέναι χάριν. 4. Et faciat sapientem διδασκαλικώτερον τῶν αἰλιῶν, docendis rerum causis idoneum. 5. Unde scientia nascatur ἀπελεσέργη, accuratior, clarior, certior, &  
αἰχικωτέρα principatum in cæteras obtinens.

III. Finem ejus consideramus duplarem: partialem, & totalem. Partialis & ipse duplex. 1. Ipsum scire. 2. Principia nosse. Totalis ab utoq; coniuncto re non differt.

IV. Discrepat à prudentiâ, 1. subjectis; quod in aliquo  
subjecto est prudentia, in quo tamen nulla sapientia: quales  
sunt, qui gerendæ Reipublicæ se totos tradunt, contemplationibus, aut accuratæ scibiliū cognitioni nihil prorsus tribuen-  
tes; alij vicissim contemplationibus vacant, in rebus gerendis  
prorsus nulli; cuius extitere generis præcipui, primi q; nominis  
quicunq; Philosophi: Anaxagoras, & Thales (ait Aristoteles)  
σοφοὶ μὲν, αἱ γνῶστες δὲ τὰ συμφέροντα αὐτοῖς 6. Eth. 7. 2. Obje-  
ctis: prudentia practicum, sapientia theoreticum habet subje-  
ctum: illa contingens, hæc necessarium: illa universale, hæc  
singulare. 3. Effectis. Prudentia actionem externam, & trans-  
euntem producit; sapientia internam, & emanantem. Cum  
scientia & intellectu convenit ut totum cum parte; & eodem  
modo ab ijsdem discrepat; non tamen cum quavis scientiâ, sed  
illâ saltem, quæ generalissima, hoc est, adhabitum primorum  
principiorum per se ordinata.

B. 3. v. Quæ

inione, &  
ur contem-  
t, Deinde;  
operat; opi-  
n certitudi-  
ndioris in-  
erò, quòd  
colatur, &  
ur; 2. dubi-  
us ducitur  
Quæ omnia

quo de-  
conclu-

nonnun-  
; eos, qui  
omnium  
notat; uti  
nt; quales  
offic. sapi-  
nq; quibus  
ientes oīcū  
marmora-  
nui, definis-  
etamen u-  
us ratione  
terq; ad al.  
: Philosophus  
as, nq; ap-  
χαῖς



V. Quæ verò illa sit disciplina, quam sapientiam hic diximus, non opus est divinare: quæ enim generalissima illa, omnium cæterarum generalia fundamenta, atq; præcepta tradens, nisi Metaphysica, eaq; sola? quam ea de causa sub habitum sapientiæ revocamus, quod tūm generalia scientiarum principia tradat, tām de subjecto suo propria, & necessaria demonstrat accidentia. Interim non speciem putamus sapientiæ, sed terminum τέχνηον eidem æquipollentem.

VI.

*Practicus habitus est, qui extra agentem operando prodit, & in alio subjecto actionem suam terminat.*

I. Quæ suprà de θεωρητικᾶς ἔξεσι diximus, præsentem definitionem ita illustrant, ut quicquam addere, supervacaneum videatur. Et quidem coincidunt cum theoreticis quoad subjectum intentionis, sive ὑπόθεσις, rationem videlicet, sive mentem; attamen ἀντικείμενων sive operationis subjecto multum differunt, hoc enim theoreticis est διαδεικτικὸν, practicis παραπτικὸν. Illis καθόλγ; his καθέναςον. 6. Eth. 8. Et quamvis contingat, practicum quoque in aliud subjectum actionem suam non transmittere, dum videlicet medicus seipsum sanat. Hoc tamen, & si quid simile, est totum accidentarium; atque tunc certè duplicis subjecti vices unum, idemq; suppositum in se recipit ratione duplicis partis, & facultatis, juxta quam agentis pariter ac patientis partes explere potest: hoc tamen omne, ut dictum, ex accidente: per se enim semper alias est medicus, sanans, alias ægrotus sanandus.

II. Quæstio movetur haud ignobilis, utrum habituum genus prestet alteri, num theoreticum, an practicum? Videtur enodata à Piccolomineo grad. 5. Phil. mor. cap. 48. hunc ad modum distinguente. Aut quæritur de necessitate, & sic eminet Theoria; aut de præstantia (quoad usum) eaq; vel absoluta, & præstat sapientia;

vel

vel certo modo dicta, (quatenus certo homini convenit, & ita  
modo praxis eminet, modo theoria pro diversis studijs, atque  
intentionibus hominum. Adde distinctionem duplēm ;  
unam ejusdem Piccol. l. d. distinguēt inter hominem ad divi-  
na, & humana relatum; judicantis, priorem nexum facere the-  
oricos, quo sensu prævaleant theorici; posteriorem practicos,  
eosq; hic primas tenere. Alteram Aristoteles 6. Eth. 7. inter Σα-  
μανία. καὶ συμφέρεια discernentis; illis Σεωεία prævalet pra-  
xi; his praxis theoriz.

## VII.

Tales habitus duo sunt; prudentia & ars.  
Prudentia (Πρέγνοις) est habitus animi cum  
recta ratione activus in ijs, quæ homini  
sunt bona, vel mala.

I. Distinguuntur hi habitus effectis: hoc est, ποίησις & πεί-  
σις. Magna utriusq; diversitas: ἄλλο τὸ γένος πείσεως, καὶ ποίη-  
σεως. 6. Eth. 5. Illa materiam substernit Physisam, cui artifia-  
lem quampliam formam imprimat; ut ars fabrilis ferrum,  
aut ligna; architectonica lapides; sutoria corium, & sic de cæte-  
ris. Hæc nullum istiusmodi postulat subiectum, ut sunt loqui,  
ambulare, consilia dare &c. Illa subsistentem, & durabilem ef-  
fectum (nisi forte per accidens) non producit, quod hæc poste-  
rior facit. Et hinc discriminēt inter prudentiam, cujus  
est πείσις & artem, cujus ποίησις.

II. Prudentia ijsdem fermè, quibus sapientia involvitur am-  
biguitatibus. Breviter: non intelligimus hic sapientiam; sed  
neq; calliditatem, & perspicacitatem, quæ prudentia nomine  
satis crebrò veniunt: unde καὶ τὰ Σήμα Πρέγνυα. 6. Nicom. 7.  
Non etiam studium artificiosè homines circumveniendi, &  
decipiendi; sed laudabilem & cautam providentiam, sive ani-  
mi promptitudinem, & habitum circa omnes actiones, sive bo-  
nas, sive malas ita versandi, ut verè bona promoteantur;  
mala devitentur. Cujus definitionem his descriptam verbis  
tradidit

tradidit Philosophus 6. Eth. 5. Φρεγνησις δέν εξισ ἀληθής μετά λόγος πειπονή τείταν θεώπω αγαθά, ηγή πανά.

III. Tres numerat Aristoteles partes verius, quām comites prudentiæ: εὐελίαν, σωματινήν, γνώμην. Εὐελία requiritur, quia consultatio praeedit actionem: prius quomodo agendum videas, quām agas: quin & universam prudentiæ actionē dirigunt consilia; imo nil aliud est consilium, quām depicta, & adumbrata actio: ut actionem malam, & imprudentem esse oporteat, si malum, & imprudens consilium. Sicut ergo prudentia est modus expedite secundum rectam rationem agendi; sic εὐελία adesse oportet, quæ expedite secundum rectam rationem consilia capiat. ορθότης γαρ τις δέν ή εὐελία βελῆς. 6. Ethic. 10. Est verò εὐελία vel naturalis quædam consultandi promptitudo: vel crebriore usu rerum comparata, aut ex utraq; composita, quæ & omnium optima, ac præstantissima.

IV. Huc spectant & partes 1. δεινότης, seu naturalis solertia excogitandi & inveniendi media, quæ ad actionis finem consequendam pertinent: qua deficiente aut nunquam acquiritur prudentia, aut certè ad idem fastigium nunquam assurgit. 2. Δεινότης perficit ή εμπειρία experientia; naturalem istam consultandi aptitudinem quasi definiens & ad certos actus restringens, ratione præsertim circumstantiarum, quas natura non definivit, sed experientiæ relietas voluit. Hinc senes omnium calculo prudentiores juvenibus; non quod animo sint vegetiore, sed ob rerum usum & experientiam, qua superant juvenes. Cum primis autem necessaria est, quia prudentia τείταν καθένασα, ἀγίνεται γνώμη εξ εμπειρίας. 6. Ethic. 8. 3. Usurpandam docet prudentiam μνήμη, memoria, scil. tūm præceptorum, tūm usus per experientiam comparatorium. Verum & hic memoria non est sola naturalis facultas sensibilium specierum promus-condus; sed 1. felicitas ejus in reponendo, & asservando, qua fideliter retineat ea, quæ experientiā quis cognovit. 2. promptitudo in reddendo, ut videlicet veterum consiliorum & casuum similiū eorumq; eventuum, ubi opus fuerit, facile reminiscatur, & viro prudenti suggerat.

V. Σωματινή

V. Συάεσις ingenij perspicacitas. Multum imperfecta est prudentialia, quæ velocitatis defectu laborat: quoties de re præsentate, & ex abrupto capiendum consilium; & gravia longam præmeditationem haud permittunt, toties certè deficit συάεσις destituta. Nam postulat prudentia consilium ὡφέλημον ηγήσθεῖ, ηγήσθε, ηγήσθε. Nic. 10. Eam v. definit. Aristoteles 6. Nicom. 11, εξιν (adde κριτικῶν) τὴν αλώς κρίνειν περὶ ὃν ἡ φρόνησις ἐστι. Rectum judicium in eo potissimum consistit, quod i. causas futurorum eventuum accurate introspicere. 2. Ex ijsdem occultos rerum eventus sapienter divinare, & ad eosdem actiones suas dirigere novit, ut probè sibi mutuo respondeant.

VI. Atque hoc rursus partim comparatur naturâ largiente sagacitatem, cujus ea sunt opera, ut rerum politicarum causas tûm non superficietenus aspiciat, sed attentè & sollicitè introspiciat; tûm divinet quò eæ tendant; & qui futuri effectus. Tunc enim facilius est medicinam facere malis prævisis, quæ in causis latitantia mutari, aut etiam enecari possunt. Hoc verò donum alligavit natura (sed contingenter) certis nonnunquam nationibus, certis familijs, certis locis, pro quorum diversitate sagacitas multum variat: licet diversum haud raro eveniat. Partim ab experientiâ expoliente, ac perficiente. Quo sanè nomine plurimum omnino facit ad prudentiam bona educatio, & ad res cautè agendas assuetatio; ut in rebus levioribus discat prudenter versari puer, quò gravioribus tantè evadat aptitor, & habitus facilius comparetur. Duo proinde συάεσις operatur. 1. facit consilia esse accurata, & scopum, ad quem actiones collimant, probè tangere. 2. quatenus verò habitus, facit expedita & celeriora.

VII. Γνώμη Sententia. Definit hanc Philosophus ὁ Φίλων κρίσιν τὴν οἰκείαν δ. Ethic. 11. Est hæc moderatio quædam συάεσις, sicut æquitas justitiæ. Et si non in omnibus prudentiæ actibus; cum primis verò in νομοθεσίῃ, ηγήσθε δικασίῃ; at minus propriè in βελευτικῇ d. Ethic. 8. Nam prudentis vel maximè est recta ratione uti in ijs, quæ scelera, & malefacta punienda concernunt: his namq; ut multum proficit, sic multum quoque deficere potest. Respubl. Et quemadmodum summi juris rigida ex-

O

actio

actio summa est injuria, sic præcipitata consiliorum usuratio  
sæpius obest magis, quam prodest. Si jam videamus, quomo-  
do faciat γνώμη ad prudentiam, hoc præstare videtur, ut, cùm  
cætera omnia (συνέσις videlicet, & εὐθύλια) sint indefinita, &  
malum finem æquè, ac bonum promovere possint, jam ad ea,  
quæ decent, seu honesta restringantur: idq; non virtute saltem  
morali, quæ, quomodo μεσότης (omnium bonarum actionum)  
mensura, & ceu anima) observanda, exponit; sed & γνώμη, quæ  
non saltem cæterarum prudentiæ partium, sed & moralium  
virtutum vigorem mitigat: adeoq; duo definitionis prudentiæ  
membra. 1. μεγάλογ. 2. περὶ τῆς ἀρθρωτῆς αὐτῆς supplet.

## VIII.

### *Ars est habitus animi cum recta ra- tione effectivus.*

I. Plus fermè de arte (quæ tamen minus habet commercij  
cum liberalibus disciplinis, quam cæteri habitus) hodie disce-  
ptatur, ac ullà dictarum virtutum: & quidem περὶ τῆς οὐσίας; inq;  
loco minus congruo. Nam circa Logicæ doctrinæ initia va-  
ria sibi confinxere Ramæi, quò artem efficerent Logicam. Pla-  
cet quæ pro genuina artis definitione alibi diximus res sic feren-  
te, & postulante huc transscribere. Tres sunt cum primis vo-  
culæ (artis) significationes. 1. Generaliter quæcunq; discipli-  
na, aut quæcunq; artificiosa mentis nostræ cogitatio, & opera-  
tio hoc venit nomine Zabar lib. 1. de Nat. Log. cap. 8. quo sensu se-  
pTEM vulgo numerantur liberales artes. 2. Τέχνη οὐσία  
ἔγνωστα λήψεων ἐγγραφατμένων περὶ τὴν τῷ βίῳ. Ars  
est cōstitutio, ordinatio, systema præceptorū crebrius exercita-  
torum ad finem aliquem utilem in vitâ. Quam definitionem  
artis à Luciano profectam à Rudolpho Agricola lib. 2. Invent. cap. 2. &  
alijs repetitam exosculantes videoas Ramum lib. 4. Schol. Dial. cap. 1.  
Et Ramæos Dounam prolegom. in Dial. Rennemaxnum part. 1. adver-  
sus Scherbius art. 2. sect. 2. & cæteros ad unum omnes.

II. Quo honore indignam, esse hanc definitio-  
nem,

nem, ostendemus tali syllogismo. Quæ definitio accidentis.  
I. Subjectum illius verum non exprimit. 2. Falsum genus supponit. 3. Entia genere diversa confundit; ea falsissima est pariter, & inconvenientissima. Atqui hæc artis definitio. I. proprium subjectum non exprimit. Probo. Verum enim subjectum (mens) est planè omissum: vel, si aliquid positum, erit σύσημα, quod falsum subjectum (uti artis, sic omnium omnino habituum) dupliciter ostendo. I. Cujusvis disciplinæ subjectum τὸ αρχιτεκτονικὸν, cui ἐκπνῶς insit, est ratione præditum; δῆλον: quia intelligibilia nullum subjectum capit, nisi intellectus. Nullum verò σύσημα vel intellectus, vel intellectu præditum. 2. Quodvis subjectum accidente suo ἀνεγγήπικῷ uti potest: systema arte non potest.

III. Ex dictis cernitur II. falsitas generis. Competit enim & arti in libro consignatae, hoc est, imagini, ὀμιλίᾳ, & umbræ suæ, qualitercumq; repræsentanti artem in mente hærentem artificis. Quid? quod habitus duo postulat necessaria, præcepta, & usum. Præcepta impropriæ habitum dixeris. Discas omnia Musices præcepta, nec tamen Musicus eris. Ergò nec præcepta, nec horum coordinatio est Musica. Quid verò constituit Musicum? nonne promptitudo exercendi præcepta Musica? hæc igitur verè Musica; non præcepta, aut horum coordinatio. Qua ergò tandem ratione ars dici poterit quæ est in systemate. Ubi tamen I. nullus habitus: 2. Nec præcepta, sed signa saltem præceptorum. III. Entia genere diversa confundit. Hoc volo. Genere distant habitus theoretici à practicis; differunt quippe genere fines, & objecta. Omnestamen isti habitus absque ullo discrimine sub artis definitionem satis violenter trahuntur. Ergò scientia systematicè considerata ars est: Sapientia ars est: Prudentia ars est. Jam ergò non amplius distincti hi habitus, sed omnes unicus, ars.

IV. Tertiam demum artis acceptiōnem definitione positā assignavimus; quam ita reddit Aristoteles 6. Eth. 4. ἡ τέχνη ἔξι δῆμεται λόγῳ αληθῆς ποιητικῇ. Qualiter τὸ ποιητικὸν differat à pratico, antè dictum; cui quidquam addere, videtur supervacaneum.

V. Ergone,

V. Ergone; quærat quis; summum bonum assequitur quicunq; artifex,  
non minus, ac vir prudens, aut sapiens? quod perquam videtur indi-  
gnum. Resp. Distinguo artes ingenuas à sordidis. Illas voco, quæ  
hominem ad virtutem excitant, ingenium singulariter acunt,  
magnum, eumq; nobilem Reipubl. usum præbent, & quas qui-  
spiam αὐτῷ χάρειν, ή Φίλων, ή δι' ἀρετῶν exerceat. Arist. 8. polit. 2.  
nec homine ingenuo sunt indignæ. Cujus generis dicimus artem  
Medicam, chymicam, pictoram, naturalem magiam, & quæ  
his similes; ijsq; suinnum aliquem finem, seu bonum attribuere  
minimè dubitamus. Cœterū sordidas, & serviles, liberum ho-  
minem dedecentes à à Philosopho l.d. descriptas ὅσα πέδες χει-  
ρούς, τὰς πρόξεις τὰς τῆς ἀρετῆς ἄχενσον απεργάζοντας τὸ σώμα  
τῶν ἐλευθερῶν, ή τινὶ ψυχὴν. ή τινὶ διανοιαν; ad summum bo-  
num virtuti conjunctissimum pertingere, αποτό-  
μως negamus.

## FINIS.



Ung. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vv. 70]

ULB Halle  
002 673 452

3



5b.


VD 17



## Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres



Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

105  
u. Θεω<sup>ρ</sup>  
ATIONUM  
ICARUM  
XI.  
De  
UTIBUS  
CTUALIBUS.  
tebergensi Academiâ  
oposita  
Æ S I D E  
LAO HUNNIO  
Col.Phil.Adjuncto,  
ONDENTE  
MO FISCHERO  
rdlingensi.  
TTEBERGÆ  
n. Gormani, Anno 1611.

